

sunt. Hac igitur occasione conficta est fabula de Semiramidis transformatione in columbam. Fuisse autem columbam insigne Babyloniorum, patet ex Hieremia propheta, qui, ubi predicat Babylonios vastaturos Iudæam, Fugite, inquit, à facie gladii columbae.

## FAB. IV. TALIBVS ORSA &amp;C.

## De Pyramo &amp; Thisbe.

Tristes eorum exitus qui illicitos amores charitati parentum anteponunt.

Exemplum Pyrami ac Thisbes docet, qualem vitam exitum sortiantur, nempe tristem & infelicem, qui illicitos suos amores charitati parentum anteferunt. idq; exemplum quò sit illustrius, ac iuvenum animis inculcetur, Poeta fabulam exornat tanta affectuum & figurarum suavitate, vix ut possit quicquam excogitari suavius. Inserit miserabiles querelas infelicium amantium, & crebras sermonis conversiones: nunc ad parietem, cum quo, perinde quasi intelligat, expostulant: nunc ad feras, à quibus alter optat afferi sibi interitum propter magnitudinem doloris ex alterius nece accepti: nunc ad parentes, à quibus officium sepeliendi flagitatur: nunc ad arborem, quam Thisbe alloquitur iam moritura, & precatur, ut perpetuò servet gemini monumenta doloris. Eiusmodi siquidem conversiones, praesertim ad res inanimes, sunt haud mediocriter condimentum suavitatis, ac mirificè afficiunt animum lectoris.

## FAB. V. DESIERAT: MEDIVMQ. &amp;C.

## De Leucothoe in virgam thuream.

Allegoriam huius fabula exponit Plutarchus in libello de audienda Poetica: eamq; refert ad causas Astrologicas. Scribit enim, eos naturali quadam inclinatione ad adulteria propensos esse, in quorum nativitate existat Venus cum Marte coniuncta, eorumq; adulteria minime occultata fore, si Sol accesserit. Potest etiam accommodari allegoria ad mores